

riaq; sese mutuo oppugnantia, interimentiaq;. Et quæ sola à nullis exorta, neq; à se ipsis mutuo, entia constituere uidentur omnia, extrema quidem integra ipsa, uigentiaq; imminuta media, passaq; sola prima appareant agentia rerum principia.

Et cælum igitur, terraq; sola prima appareant, simpliciaq; corpora à summis illis constituta, et nihil passis imminutis nihil. Neq; enim primum uideri queat, & simplex corpus, quod ab imminuto constitutum est principio, & in quo igitur non summa apparet propria uis, propriaq; natura, remissio enim omnis, uel per cōtrarij fit admisionē, ut Peripateticis placet, uel per cōtrarij actionē, propterea scilicet imminutum apparet cōstituens principium, & non integris, summisq; proprijs præditum uiribus, quod uel contrario est admistum, uel à contrario passum, imminutumq;. Et propterea non prima apparent, simpliciaq; corpora, sed secunda omnia, compositaq;, in quibus non summe proprie insunt nature, sed imminutæ, debilitatæq;, quod uel ab utroq;, & simul inexistente, ut Peripateticis placet, constituta sunt principio, uel ab altero tantum, at passo, imminutoq; ab altero, & quæ igitur ueluti utriusq; actione effecta uideri queant, qualia reliqua omnia uidentur, remissis omnia proprijs prædita uiribus, quæ summe in solo igne, cuius naturæ existit cælum, & in sola uigent terra, & terra igitur sola, & solum cælum prima appareant, simpliciaq; corpora, ab integris, atq; impremistis constituta principijs, & è quorum alterius in alterum actione, & ueluti complexu, cætera constitui uidentur omnia, & ipsum primorum maxime proprium corporum.

Oportuit autem in altero contineri alterum, sphericum itaq; fieri uniuersum, non in longum constitui, directumq;, & in altera ipsius extrema parte cælum locari, terram in altera, nisi enim ab altero retine